AD ILLUSTRISSIMUM ET RELIGIOSISSIMUM S.R.E...

Antonio Riccoboni

CVM diuino beneficio, IVLI CANANI, in Cardinalium ordinem cooptatus sis, & quidem cooptatus tanto bonorũ omnium applausu, tantaq; lætitia, quantam illustrissimus honor illustrissimis uirtutib. tributus potuit excitare; merito omnes, qui te amant, obseruant, & colunt, tibi gratulatũ concurrunt: merito uniuersa Diœcesis Adriensis, in quam tua extant grauia, atq; immortalia beneficia propter maximam dignitatem tuam maxime exultat, atq. triumphat: merito inter ceteros omnes Rhodigium uniuersum amplitudini tuæ charissimum, quod prælegisti, ubi habitares, ubi lumen animi, atq; ingenii tui exerceres, ubi potissimum benignitate, humanitate, mansuetudine, clementia, ceterisq; uirtutibus, quæ te omnibus amabilem, atq; admirabilem reddunt, utereris, immensum gaudium ostendit. Cumq. alia prope incredibilis gaudii sui singularia, atq; illustria dederit signa, læto æris campani sonitu, piis ad Deum omnibus in templis gratiarum actionibus, admirabili ad te uenerandum, & Cardinalem consalutandum concursu, magnis ignibus, pręclara Insignis tui omnibus in locis descriptione, aliisq. multis, quæ omnia enumerare longum esset; hoc quoque munus obiri concupiuit, ut ad Pastorem suum maxime colendum, & summopere prædicandum publica haberetur gratulatio. Ad quod honestum munus obeundum tametsi quamplurimi idonei erant doctrinæ, atq. eloquentię laudibus ornati, quibus hæc urbs semper fuit affluctissima, quorũq; nõ nulli iã designari erãt ad huiusmodi gratulationẽ habendã: tamẽ, cũ ad communẽ patriæ meæ exultationem, atq. lætitiam con

curriſſem , me quoque adhiberi oportere , publico decreto , cunctiſq; ſuffragiis hæc ciuitas cenſuit , ſi non aliis de cauſſis , at certe hac una huiuſmodi muneri maxime congruentem , quòd inter eos , qui amplitudinem tuam coluerunt , omni ſemper animi , ac corporis contentione appetiui principatum . Itaq; felicibus auſpiciis Clariſſimi huius urbis Prę̨ſidis , IO. NATALIS TALIAPETRÆ , ac prę̨ſtantiſſimorum huius communitatis Moderatorum , excellentis uiri & nomine , & cognomine , & re ipſa BONIFACII , ſpectabiliſq; uiri IOANNIS CASILINI, quos honeſtatis , amplitudiniſq. gratia nomino , hoc muneris libentisſime exequar , etiam ſi intelligam me id oneris ſuſcepiſſe , quod non facile ſuſtineri poſſe uideatur. Vnde enim in latisſimo laudum tuarum campo dicendi principium ſumam ? ubi orationis exitum inueniam? cui potisſimum gratulabor? tibi ne , Cardinalis Illuſtrisſime , quòd maximum honorem maximis uirtutibus tuis debitum ſis conſecutus , an cum ceteris omnibus honori tuo deditis, tum uero patriæ meæ mihi mea ipſius uita chariori , quæ in te paſtore ſuo clementisſimo ualde honorando ſe ipſam ualde honorat ? Equidem illam celebrem quæſtionem , quam doctisſimi homines pertractarunt, mecum ipſe ſæpe conſideraui, Vtrum in honorante , an in eo , qui honoratur , honor eſſet; & probabilia in utramq; partem argumenta inueni. primum enim in animum induxi meum , non eſſe dubitandum , quin eius ipſius eſſet honor , cui tamquam uirtutis premium ipſe tribueretur , cuius eſſe merita uiderentur, qui ab honore denominationem acciperet. Quod ſi ita eſt, quis per Deum immortalem non intelligit , amplitudini tuæ amplisſimum eſſe honorem tribuendum , cuius amplisſimæ ſunt uirtutes, amplisſima merita, amplisſimum nomen inter uiros pręcipue , atq. inſigniter honoratos , illuſtriq. gloria

præfulgentes? Prætermitto inter alia tua decora, & digni-tatis insignia clarissimam patriam tuam FERRARIAM, urbem magnificentissimam, generosissimam, præstantissimis ad omnem laudem uiris affluentissimam, cum in aliis rebus quàmplurimis, tum in hac maxime celebrandam, quòd in ea uirtutis splendor eluceat, & qui præstantiores sunt, sine dubio chariores sint Principi illi Serenissimo, in quo celeberrimæ laudes Imperatoriæ tam mirabiliter splendent, summa rei militaris scientia, in Gallia potissimum, & in Pannonia admirabilis cognita, egregia uirtus, eximia auctorias, maxima felicitas, ut qui in rerum gerendarum præstantia, atq. excellentia ei præferendus sit, non facile in uniuerso terrarum orbe Princeps inueniatur. Prætermitto nobilem familiam CANANIAM, maiorum tuorum uirtutibus nobilitatam, illustri rei medicæ pertractatione cohonestatam, insigni iuris Pontificii, & Cęsarei doctrina perornatam, clarissimo Christianæ religionis splendore collustratam. Quæ quamuis maxima sint ornamenta: quoniam tamen tua propria non sunt, sed cum multis communia, idcirco nunc mihi, maxime uero tibi notissima, atq; exploratissima habentur, prætereunda existimo. Tantum commemoro uirtutes illas, sermone quidem omnium contritas, & in ore omnium positas, sed tamen ad id, quod agimus, maxime accommodatas, meritoq; à recentioribus Theologis Cardinales appellatas, quæ te merito Cardinalem effecerunt, admirabilem prudentiam, excellentem fortitudinem, præclaram temperantiam, singularem iustitiam. Coniunxisti autem cum rerum agendarum prudentia rerum multarum scientiam, et in primis earum, quæ ad Reip. Christianæ commodum, dignitatemq; tuendam, atq; augendum pertinere existimantur, iuris Pontificii, eius, quæ in agendo uersatur, philosophiæ, historiæ potissimum Ecclesiasticæ; quibus in reb. quantopere ex

cellas, plurima, & maxima, eademq; illustrissima dedisti documenta. Atque, cum aliæ plurimæ recenseri possint uirtutes tuæ, mihi tamen, cui Illustrissimi Senatus Veneti decreto abhinc tresdecim annos mandatum est, ut in celeberrimo Gymnasio Patauino ueterem eloquentiam profitear, celebranda in primis est præclara illa eloquentia tua, qua tanta tua cum laude aduersus Christianæ fidei hostes, quasi alter Pericles, fulgurare, tonare, permiscere omnia solitus es; qua tam utiliter in Sanctissima Synodo Tridentina bonum omnium persuasisti; qua tam fructuose populos tuæ fidei commissos monere, atq; hortari consueuisti; qua tam honorifice illustres pro Serenissimo Ferrariæ Duce Legationes obiuisti; qua tam egregie apud Principes, apud Cardinales, apud Pontificem ipsum optimum, & maximum, cum tibi occasio oblata est, semper egisti. Quanta autem, & quàm multa sint tua in Remp. Christianam merita, quis est, qui dubitare iure possit? Omnibus enim patet, te plurimum ei profuisse, cum à secretis fuisti I V L I I. III. Pontificis Maximi; cum apud eum auctoritatem tibi merito tributam, & nemini unquam alii, ne Cardinali quidem concessam, eorum omnium signandorum, quæ ad potestatem Pontificiã pertinerent, incredibili omnium cum admiratione exercuisti; cum multis Episcopis, multis Cardinalibus, multis principibus in rebus iustis, à quarum regula nunquam tibi recedendum esse existimasti, gratificatus es; ut in illo maximo honore, maximaq; dignitate, in qua te summus esse Pontifex uoluit, nulla re magis lætari uidereris, quàm quòd prodesse plurimum, & plurimis posses. O benignam uoluntatem maxime colendam, maximecq. admirandam, quæ homines ita collustrat, ut ex hominibus prope Deos reddere uideatur! Cum enim alia multa in præpotenti Deo mirifice splendeant, nihil tamen sapientissimorum hominum sententia

magis illucet, quàm præter summam rerum omnium noti titam eximia quædam de omnibus bene merendi uoluntas, ut merito non solum sapientissimus, sed etiam optimus, & cum in aliis rebus, tum in benemerendo maximus sit appellatus. Cuius rei claritate qui magis fulgent, ii propius accedere ad diuinam conditionem existimantur; ut merito te tamquàm omnium suorum commodorum, omnisq; suæ dignitatis parentem, ac prope Deum Rhodigium ueneretur uniuersum, quod maximis, atq; immortalibus à te beneficiis ornatum est. Hic si historiam scriberem, non orationem haberem; replicarem memoriam rerum tuarum Rhodigii gestarum ab anno Christi millesimo quingentesimo quinquagesimo quinto, cum à IVLIO III. Pontifice sapientissimo, & gratissimo, Adriæ Episcopus declaratus es; ut singula tua in nos merita narrarentur: quoniam uero non scribo exteris, sed apud ciues meos loquor, quibus omnia, quæcunq; de amplitudine tua dici possunt, notissima sunt, tantum in uniuersum dico, Rhodigio nullum unquam datum fuisse, aut dari Episcopum potuisse, te ipso nec diuini cultus, & Christianæ pietatis studiosiorem; nec pacis, & concordię ciuilis amantiorem; nec hæreticæ prauitatis uindicem maiorem; nec in expellendis, & exagitandis hominum flagitiis, & sceleribus acriorem; nec in audiendis, & exaudiendis legitimis miserorum querimoniis benigniorem; nec ad innocentes tuendos, ac protegendos paratiorem; nec denique ad bona omnia tum publica, tum priuata prouidenda, & procuranda, malaq; præcognoscenda, & propellenda incitatiorem. Quæ omnia si singulis tuis rebus gestis, & singularibus beneficiis in hanc urbem collatis confirmare uellem, hodię dicendi finem non facerem. In te igitur Rhodigini omnes, tamquam in numen aliquod propitium intuentur. Quid dico Rhodigini omnes? Immo uero Adrienses, Lendenarienses, Abbacienses, Fer-

rarienses, ceteri, qui te nouerunt, omnes, tuoq; præstanti præsidio, atq; excellenti ope ullo unquàm tempore indiguerunt, maximum benignitatis, atq, humanitatis tuę fructum percipere consueuerunt. Iamuero, si, quemadmodum grauissimus omnium auctor testatus est Aristoteles, duo hominum genera in primis honorantur, tum qui beneficium dederunt, tum qui beneficium dare possunt, dubitandum profectò non est, quin inter uiros summopere honoratos merito habearis, qui Remp. Christianam mirabiliter adiuuisti, ornasti, auxisti; qui & ante Episcopatus adeptionem, & post ita semper te gessisti, ut de quamplurimis optime meritus sis: qui & beneficentia, & benefica uoluntate omnium tibi beneuolentiam conciliasti; denique qui innumerabilibus, atq; illustrissimis rerum documentis declarasti, quanta, & quàm multa à tuis maximis, clarissimisq; uirtutibus proficisci possint. Quæ caussa fuit, quamobrem non modo A L P H O N S V S huius nominis II. Serenissimus Ferrariæ Dux V. cum illustrissimo fratre suo ALOYSIO Estensi S. R. E. Cardinali generosissimo, tibi semper insigniter fauerit, teq; ceteris omnibus imperio suo subiectis antetulerit, ac tui in primis studiosissimus fuerit, expertus nimirum sæpenumero fidem, integritatem, præstantiam animi tui excellentem; uerum etiam G R E G O R I V S XIII. Pontifex Max. idemq; sapientissimus, & benignissimus, uere dignus, qui locum cœlo proximum teneat, te in Cardinalium numerum receperit; quòd intelligeret, qui se sub I V L I O III. Pontifice Max. idoneum ostendisset ad summum pontificatum administrandum, non nisi aptissimum fore ad Cardinalatus grauitatem sustinendam; quiq; in Episcopatus dignitate se etiam dignum præbuisset, altiori gradu dignitatis, ad Cardinalatus dignitatem prouehendum esse; ut qui rerum ad sedem Apostolicam pertinentium maxima præditus esset experientia. (in quo uno

rerum

rerum usu uerá fulgere sapientiam doctissimi homines ce- fuerunt, &M. quoque Cato Censorius exemplo suo decla rauit)is in excelso collocatus loco plus conferre ad Reip. Christianæ commodum, &splendorem posset. O beatissi mam, omnibus maxime probatam, à beatissimo Patre ha bitá electionem; ut uirtuti suus esset honor; ut qui tam- diu, & tam honorifice in Iesu Christi militia decertasset, legitime coronaretur; ut cuius præstantissima opera plu rimum ualeret ad Christi fidem fouendam,&adiuuandam, is ad clarioresChristianę religionis functiones adhiberetur. Quod si maximi Principes de præstanti, atq; excellenti uir tute tua sperare plurimum uidentur, unde omnis in te di gnitas profluxit; quid animi esse oportet Rhodiginis, qui tot, tantisq; affecti beneficiis didicerunt, quàm egregia sit tua in ipsos uoluntas, ac probe intelligunt, & pro cer to habent, quantum tibi accessit dignitatis, tantundem accessisse ad benemerendum uoluntatis; ut quò illustriori loco sita est auctoritas tua, eò plura, & insigniora futura esse in Rhodigium beneficia uideantur? Merito igitur te Cardinale Rhodigium gaudet uniuersum; meritoq; quic- quid ipsum potest, & ualet, ad humanissimum, & be- nignissimum confert Pastorem suum excolendum. Qua- mobrem, ut ad id, quod cœperam, mea reuertatur o- ratio,si de honore gratulandum est, ut certe est,ei sine du bio gratulandum uidetur,cuius esse honor putatur;eius ue- ro honorem esse,fere omnes existimant,cuius sunt uirtutes, cuius sunt merita,qui consequitur uiri honorati denomina- tionẽ;ut in eo magis, qui honoratur, honorem esse, quàm in honorante communiter arbitrentur, & magis illi, quàm huic, gratulandum esse contendant.Ex qua communi opinione recte facimus Cardinalis Illustrissime, qui tibi nomine publico Cardinalatum gratulamur, tibi,in quam,tam multis,& tam claris uirtutibus perornato,tã illu

ftribus,& tam præftantibus meritis præfulgenti, tam folido, & tam germano uiri honorati nomine insignito. Verum, cum hoc meritiſſimo fiat, idq; omnes libentisſime confiteantur, nondum tamen de honore propoſi tam dubitationem exemptam eſſe intelligo; maxime uero quia is, cuius auctoritati in litterarũ ſtudiis plurimũ ſẽp tribuendũ eſſe cenſui, quiq. & ſuperiores oẽs ſuperaſſe, & poſteris oĩb. ſpẽ melioris doctrinæ prope in ꝑpetuũ uiſus eſt ademiſſe, tradidit Ariſtoteles, in honorante magis, quàm in eo, qui honoratur, honorem eſſe. Cuius rei tres fortaſſe præcipuæ afferri rationes poſſunt; altera, quòd nihil aliud eſſe honor uidetur, niſi iudicium quoddam, quod de alicuius ſit uirtute, omne autem iudicium in iudice ipſo ineſſe, nemo dubitat: altera, quòd qui honorat, honeſte agit, & honor eſt honeſta quædam actio, omnem uero honeſtam actionem eſſe perfectionem agentis, philoſophi docuerunt: tertia quòd eius exiſtimari honor debet, cuius in manu, & poteſtate eſt, pendere autem eum ab honorante, tam certum eſt, quàm quod certisſimum; ut honoranti quodammodo magis gratulari debeamus, quia rectum iudicium faciat de uirtute, quia honeſta ſe perficiat actione, quia ipſe eam rem in poteſtate habeat, quam libenter exequens, dum alios ornat, ſeipſum quoq; ornare iudicatur. Nam profecto, ſi adducta in gyrum ratione recte hoc perpendere, atq; examinare uelimus, inueniemus, niſi prẹſtantes uirtute uiri honeſtis ſe actionibus conſolarentur, niſi ſummum in eis bonum collocarent, niſi ſtatuerent, uirtutem minime mercenariam eſſe, ſed propter ſe expetendam, nihil fere eſſe, cur eis ad altiores dignitatis gradus prouectis tantopere gratularemur; cum pateat, quò altius ſunt collocati, cò maiores ipſis labores, maioreſq. uigilias eſse ſuſcipiendas, omnia prouidenda, omnia circunſpicienda, omnia moderã

da, quæ ad eos gradus honeste tenendos pertinere uideantur: propterea quòd hoc maxime proprium est uirtutis, mollia, planaq; itinera dedignari, ardua, & salebrosa concupiscere; ut, qui uirtute præditi sunt, eis, quamuis honore affectis, non in umbra, atq; ocio marcescendum, non in rosa, ac uiola contabescendum sit, sed perpetuo agendum, laborandum, uigilandum, pericula subeunda, sanguis quoq; ipse, si ita opus sit, pro Rep. profundendus, mors quoq; ipsa, si ita Reip. utile sit, forti animo oppetenda. Itaq; si res ipsa difficultatis plenissima, non animus uirtute præstantium spectetur, profecto gratulari de honoribus, de dignitatibus, de publicis functionibus, nihil fere aliud est, nisi gratulari de laboribus, de uigiliis, de periculis, quæ toleranda sunt illi, qui suum cum laude munus obire uelit; ut illis fortasse magis sit gratulandum, qui uirum uirtute præfulgentem honorant, quòd eius illustri opera sint usuri, eius honestis actionibus fruituri, in eius assiduitate, et uigilantia conquieturi. Quamobrem, Illustrissime Cardinalis, tamet si obseruato in primis excellenti animo tuo ad agendum, & benefaciendum propenso, tibi merito omnes gratulamur, quòd in eum locum ascenderis, ubi tuæ poterunt uirtutes illustrius, ac fructuosius exerceri: tamen philosophorum omnium principi, ac corypheo assentientes Aristoteli, qui censuit honorem quidem esse in eo, qui honoratur, sed magis in honorante, ut ex eius sententia, magis huic, quam illi gratulandum esse uideatur; gratulamur primum ei, qui omnium hominum est dignitate primus, summo Pontifici, GREGORIO XIII. Bononiensis soli splendori perpetuo, familiæ Boncompagnæ, bonorum, & uirtute praeditorum hominum sociæ beneficentissimæ, almo lumini prope sydera collocato, gratulamur, inquã, GREGORIO XIII. quòd rectissime iu

dicauerit de uirtutibus tuis; ut cum per uniuersum terrarum orbem omnibus probata sit felicissima, et prudentissima, quam superioribus proximis diebus habuit, unde uiginti Cardinalium electio, non parum apud omnes beatissimum, & sapientissimum eius iudicium laudatum sit, quòd te ad Pontificatus commodum; & dignitatem natum, ac diuinitus datum, inter illos undeuiginti enumerauerit. Gratulamur deinde ALOYSIO Estensi, Cardinali gratissimo, & altissima quadam mente prędito, quòd cum cognouisset incredibilem animi tui propensionem ad honestissime, & in perpetuum amplitudini suę seruiendum, censuerit, te humanitate, ac benignitate sua prorsus complectendum, & auctoritate, quæ summa est, fouendum, ut tibi omnia amoris, fauorisq. sui uela panderit, & apud Pontificē ipsū optimū, et maximū uirtutes tuas ꝑpetuo celebrarit. Gratulamur præterea ALPHONSO Ferrariæ Duci Serenissimo, quòd, cum eius auctoritas apud sedem Pontificiam plurimum, prout debet, possit, & ualeat, omnes uires suas, quę sine dubio maximæ sunt, & potentissimæ, usque ab initio Pontificatus Gregorii xiii. adhibuerit ad te suis prope manibus in locum Summo Pontificatui proximum extollendum, ac nunquam cessauerit, donec tibi Cardinalatum confecerit; ut inter ceteras honorificentissimas, atq; excellentissimas actiones suas hac maxime gloriari possit, quòd te propter pręstantiam animi tui singularem aliis quam plurimis, iisdemq. præstantissimis præferens uiris, quibus merito gaudet Ferraria, ad Cardinalatus gradum incredibili suo, ac prope diuino studio unus euexerit. Quo præclaro tui ipsius honorandi instituto humanissimus, & benignissimus Princeps ita oblectatur, ut te delectum S. R. E. Cardinalem multis statim, magnisq. muneribus affecerit, suoq; Insigni, & aquilę nigræ in albam fausta, feliciq. commutatione cohonestauerit, ac dum te

omni humanitatis, & benignitatis genere quotidie magis complectitur, admirabile beneficentię, & liberalitatis suæ singularis monumentum uelle prodere posteris uideatur Gratulamur denique uniuersę Diœcesi Adriensi, Adriæ. Rhodigio, Lendenariæ, omnibus locis hac Diœcesi comprehensis, quòd in manu habeant, quomodo Pastorem suum Illustrissimum, si non pro dignitate eius, at saltem pro uiribus suis immortaliter honorando immortalem possint sibi ipsis honorem comparare. Agitę igitur, ciues Rhodigini, ut cœpistis, una cum ceteris Rhodiginæ Polynesi populis, immo uero cum Mundo uniuerso, Pastorem uestrum à communi in primis omnium Pastore, ab Illustrissimo Estensi Cardinali, à Serenissimo Ferrarię Duce honoratum ita honorate, ut si eius dignitati nec rebus nec uerbis respondere potestis, at saltem gratissimos animos ostendatis: collustrate mentes uestras iucundissimo, qui uos fouet, splendore: Cardinalem uestrum Illustrissimum (uester enim & propter constantiam suam, & propter diuturnam apud uos commorationem & factus est, & esse uult) amate, obseruate, suspicite: eius memoriam beneuolentia colite sempiterna: ad eius nomen perpetuo prędicandum si non parem orationem, at certe gratam animorum significationem, quantumq; lingua, uoce, dicendi facultate ualetis, libenter conferte: eius grauissima, & immortalia in uos merita, si fieri non potest, ut expleatis, at certe quibuscunq; potestis reuerentiæ, & obseruantiæ signis, non pressis leuiter ad exigui prædicationem temporis, sed fixis ad memoriam hominum sempiternam, adornate: uosq; perpetuo propensos, & paratos ostendite ad eius honorem, & gloriam pro uiribus celebrandam. Quod facere debetis, & sine dubio facietis, non solum, quia ita uos decet: uerum etiam ut illustrissimo Veneto Senatui, à cuius auctoritate, tamquàm à nu

mine aliquo pendetis, cuiusq; potestatem præ se fert clarissimus huius urbis præses, IO. NATALIS TALIAPETRA, quem iterum honoris caussa nomino, gratificemini: cum præsertim constet etiam litteris, ut appellant, Ducalibus tum Illustrissimo Cardinali ad gratulandum, tum Summo Pontifici ad gratias agendas missis, & singularibus officiis, dum ipse superioribus proximis diebus Venetiis fuit, à Serenissimo Venetiarum Principe, & ab ipso Illustrissimo Senatu ei cumulatissime præstitis, non minus charam, & iucundam huic Sanctissimæ, & Serenissimæ Reip. ad Cardinalatum promotionem, & electionem IVLII CANANII, quàm AVGVSTINI VALERII Patritii Veneti, & MICHAELIS TVRRIANI imperio Veneto in Foro Iulio subditi, extitisse. Tuum uero est, Cardinalis Illustrissime, & Clementissime, tuam pristinam mentem in Rhodiginos omnes, tuumq; de Rhodigio uniuerso bene merendi institutum retinere. Quod te facturum esse certo speramus; hacq; certa spe gaudentes hanc Magnificam Communitatem amplitudini tuæ ualde addictam, & hunc populum nomini tuo omnino deditum, tibi in perpetuam clientelam commendamus; teq. ut Deus Opt. Max. ad summũ in Christiana Rep. locum reseruet, & diu incolumem, florentemq; conseruet, etiam, atq; etiam precamur.

Habita Rhodigii in auguſtisſimo Di. Frã ciſci templo xv. Kal. Feb. MDLXXXIIII.

F I N I S.

Cum
Licentia Superiorum.